

Q. K.
397.
5.

X 11003394

II n
3547

Q. D. B. V.

LEMMATA HISTORICA,

ad Silesiam pertinentia,
disputata

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS

CONRADO SAMUELE
SCHURTZFLEISCHIO,


Historiarum Professore Publico,
ab

AUGUSTINO PESCHINO,

Hernstadiensis Silesio.

In Auditorio Majori

Die XVII. Octobr. Anno cl. l. c. LXXXII.



WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI Acad. Typ.



L E M M A T A
H I S T O R I C A

ad Siciliam pertinentia

disputata

P R A E S I D E

R E C T O R E M A G N I F I C O

A C A D E M I E V I T T E R B E R G E N S I S

C O N R A D O S A M M E L I E

S C H U R T Z E I S S I N O

M A G I S T R O P U B L I C O

ad

A U G U S T I N O F E S C H I N G

H e r r s c h a f t s

in

D I S S E R T A T I O N E

de

V I T T I V E R O R

I N P R I N T U M


V I T T I V E R O R

V I T T I V E R O R





I.



Imperiti sunt originum veterum, gentiumque natales ignorant, & nimis à migrationum ordine recedunt longiusque declinant, aut meâ opinione in re seria interdum ineptiunt ac ludunt, qui Elysijs Taciti Silesios interpretantur, *de mor. German. XLIII. 5.* Et ibidem Beatus Rhenanus, cujus intempestiva castigatio historiae vim affert, nec melior est conjectura Jodoci Willichii, Lygios vocantis, quos Silesios nominamus, in *Tac. Germ.*

II. Verosimiliter ultima nominis initia à *convenis* lingvâ Sarmaticâ dictis repetuntur, quippe quibus antiquæ urbium vicorumque appellationes congruunt, & Sarmatici nominis vestigia referunt, ac temporum gentiumque vices ostendunt. In quam sententiam *Vid. Nicolaus Henelius*, prudens & doctus scriptor, *Silesiogr. p. 5.* Dissentit Joachimus Curæus,



diligens & eruditus annalium Silesiæ conditor,
& Lygios Elyfiosq; Taciti ad hoc argumentum
refert, à magno, ut opinor, polyhistore Cas-
pare Peucero deceptus, p. 6. & 55. editionis
VVittenbergensis. Huic assentitur *Christopho-
rus Hartknochius de rep. Polon. l. 1. cap. 3.*

III. Antea has oras incoluerunt Qvadi,
finitimi Sarmatis, & morum armorumq; ap-
paratu similes, sed natione Germani, ut auctor
est *Tacitus Germ. XLII. 1. 2. Ann. Marcelbinus
XVII. 12. Dubravius hist. Bojem. lib. II. X.*

IV. Postea Sarmatæ Lechidæ migrârunt
in eas terras, sedesq; fixerunt *Matth. Michovius
lib. 1. cap. 1.* Quo tempore Silesiorum populus
nondum hoc nomine erat cognitus, nec facile
ante Karolinum regnum famâ belli & expedi-
tionum celebratur. Id quod comprobant mo-
numenta, quibus res ipsorum continentur.
Nam *Siusli*, sive ut alii legunt, *Sliuse*, denotant
Silesios, qui cum Sclavis & Bohemis regni Fran-
ci Germanici limitem ruperunt, *annal. Fran-
cor. DCCCLXIX.*

V. Amplius extat hujus appellationis
vestigium apud Ditmarum Merseburgensem,
qui primus omnium, quod sciam, meminit pa-
gi *Silensis*, quem interpretor tractum regio-
nemq; Silesiæ gentis, *lib. VII. p. 221. edit. Mader.*

VI. Ri

VI. Ritu Christianorum initiati sunt, cum summam rerum Polonicarū teneret Miec- zislaus, qui ductā Boleslai Bohemici filia, bar- baro more se abstinuit, & abrogato idolorum cultu, veram Religionem amplexus est, & ad Polonos Silesiosq; transmisit. *Ditmarus Chron. lib. IV. p. 89. Dubravius hist. Bojem. lib. V. Joach. Curaus in annal Siles. p. 29. Mart. Cromerus rer. Polon. lib. III. Nic. Henelius Silesiograph. cap. VI. Caesar Baronius in annal. Eccles. ad an. 965. Nisi quod ibidem erroneam Cranzii opinionem se- quitur, & Vandalia ambitu Sarmatarum Sla- vorumq; terras perperam complectitur. Adri- anus Regenvolscius hist. eccles. Slavon. lib. I.*

VII. Simulatqve hæ gentes Christo no- men dederunt, moratiores pariter factæ sunt, & prava instituta maliq; exempli consuetudi- nes omiserunt, & ipsam quoque habendi plu- res uxores libidinem piè & sapienter improba- runt. *Bobuslaus Balbinus, vir sanè diligens, et si cum duce suo Stranskio nimis sepe, & præter me- ritum fugillat Melchiorem Goldastum, in epit. rer. Bohem. lib. II. cap. 7.*

VIII. In hanc sententiam commemora & testatur Procopius non Christianus, sed in hoc genere ingenius scriptor, Herulos, Slavi- ci nominis gentem, non prius feritatem cum

mansuetudine commutasse, quàm Christi sacra amplecteretur. *Goth. II.*

IX. Non aliud, nec mitius ingenium reliqui Sarmatæ habuerunt, & rerum superstitionumq; à majoribus traditarum tenacissimi fuerunt, quod ex Procopio abunde patet, cujus narratio ingenio populi, & rebus factisq; congruit, nec Fr. Combefis habuit, cur propter *credendo* fidem Procopii elevaret, *ad Procop. Rhet. locum de S. Sophia p. 293.*

X. Tantùm refert admoneri, quod universa hæc gens non uno & eodem temporis articulo religionem simul & cultum susceperit, quoniam ante Dobravæ in Poloniam adventum quædam religionis Christianæ semina ibi sparsa sunt, & Cyrillus atque Methodius Episcopi, velut regionum illarum *Apostoli*, jam ante studia sua eò contulerunt, ut religione Christianâ imbueretur. Quorum spectat Mart. Cromerus, quùm initia religionis accepta fert Græcis & Italis, denotatq; hos Episcopos, qui annitente Nicolao Pontifice Ro. Christi sacra ibidem promulgârunt, *de reb. Polon. lib. III. Dubravius, Curæus Regenvolscius & per plures.* Nec verò, quod de Polonis Silesiisq; dictum volo, id ad omnes Slavorum populos pertinet, quorum alii citius, alii serius Christi sacra

sacra colere coeperunt. Ex quibus certè Hieronymus Stridonensis eluxit, & sacras literas magnopere illustravit, quem Flacius Illyricus ferme reddidisset posteris seculis, nisi de optima & emendata Magistri doctrina deflexisset. Interim *epocha conversionis* Polonorum Silesiorumq; generalis omninò figenda est in A. Ch. DCCCCLXV. Hinc principium cultus & civilitatis, hinc primordia templorum ibi ducuntur. Quæ disciplina & mansuetudo elegantiaq; multò post progressa est ad Pruffos, ut alibi traditum probatumq; fuit.

XI. Ac diu quidem Silesia fuit in ditione Poloniae & Lechidarum Principum legibus paruit, ac deinde Piastidarum Duces Regesq; coluit comiterq; habuit, & amplius octingentis annis talem modum statumq; reipublicæ servavit. *Henelius Silesiog. cap. VII.* Seorsim a nobis sentit Hartknochius, & auctore *Vincentio Kadlubco* probare conatur, Silesiã, quam hic Scriptor ineptè Sileuciam nominat, Boleslai Chrobri ductu Poloniae fuisse subjectam, *lib. I. cap. 3. §. 2. de Rep. Pol.* Sed ex aliis, nec fabulosis monumentis constat, Silesiam ab initio principatus Lechi non ignobilem fuisse Poloniae portionem.

XII. Tabulae Regum Poloniae indicant, pariter & confirmant eos testandi domini causa
supre-

supremos Silesiæ duces se scripsisse in epistolis
& codicillis publicis, admonetq; id, ut ratio in-
telligatur, quamobrem ita se scripserint Reges,
simulq; causa perspiciatur, quamobrem Silesiæ
Proceres & Principes noluerint in loco nume-
roq; provinciarum haberi, sed salvâ statû digni-
tate, integrisq; privilegiis cum regno Poloniae
antiquitus, & deinde cum regno Bohemiae coa-
luerint. Cujus exemplum tituli extat apud
Jacobum Schickfusium in Chron. Siles. lib. 3.
cap. 28. De quo vid. infra §. XV.

XIII. Tradit autem Melchior Goldastus,
Poloniae Reges dominium Silesiæ sub auspici-
is Germanorum habuisse, & salvis Im-
perii rationibus tenuisse, atque adeo pro-
pter Silesiam Cæsaribus lanè obnoxios fu-
isse, *de Regno Bohemiae lib. I. c. 14.*

XIV. Quod eò magis certum explora-
tumq; est, postquam Silesia ad Bohemos
transiit, quorum ut regnum, ita omnes re-
gno innexæ regiones ad supremum Germa-
niæ jus spectant. Docent hoc diplomata,
quæ regnum Bohemiae feudale evincunt,
& sanctiones publicæ, quæ multis in lo-
cis Silesiam Imperio devinctam testan-
tur. In quo argumento cautè legendus est
P. Piascius, qui non rarò externarum rerum
impe-

imperitum se prodit, & regnum Bohemiæ verè
dici posse *feudum Imperiale* negat, contra vete-
rum recentiumq; diplomatum fidem, *Chron.*
an. 1019. Nam privilegia & immunitates, quas
habet Bohemia, non efficiunt, ut desinat esse
Imperii beneficium, quoniam propter eam o-
mnia jura, muniaq; & dignitates *Imperiales*,
cum primis *Electoatus* & *Archiepiscopatus*, &
regiones principatusq; conjuncti ab Imperio
accipiuntur, atque hoc titulo agnoscuntur &
possidentur. *Extat R. I. 1530. §. 127.* ubi Silesia jun-
gitur iis sanè regionib9, quæ suprema Imperii ju-
risdictione continentur.

XV. Inter Silesiæ ducatus, qui sub tem-
pora Boleslai Crispi sigillatim constituti divi-
siq; sunt, Glogoviensis & Troppaviensis Vladis-
lai regis donatione attributi sunt Johanni Al-
berto, quamvis Silesia jam diu ante Polonorum
esse desiisset. Unde interpretationem recipit
Johannis Alberti titulus, qui non ad universam
Silesiam, sed duutaxat ad ducatum Glogovi-
ensem & Troppaviensem pertinebat. *Jo. Curæus*
in annal. Siles. p. 359. *Mart. Cromerus, & hujus*
Epitoma hist. Polon. lib. VI.

XVI. Ducatus Oppaviensis, vera quoque
Silesiæ portio est, & inter hujus regni clientelas
numeratur, & gaudet privilegiis, quæ Silesiæ
prin-

principatus, ut Johannis Bohemiæ regis diploma facis declarant. Quamquam nuper Thomas Johannes Pessina ostendere conatus est, eum ab antiquo tempore ad Marchionatum Moraviæ pertinuisse, *in Marte Morav. lib. IV. cap. 2.* Sed tabulæ & bullæ Lutzelburgicorum Regum Cæsarumq; Oppaviæ ducem Silesiæ adscribunt, atque in hoc statu & dignitate confirmant. Diu verò est, quod iste ducatus ad *Cammeram* ut vocant, *Regiam* (Bohemicam) proximè & *immediatè* spectat.

XVII. Ducatum Olsnensem sui fere juris esse putat *Baudrandus* Geographus Gallus, & nihilominus concedit, esse in clientela Bohemiæ Regis, ac tantùm non sibi contradicit. Nam hi Duces jurant in verba Regis, suntq; ejus *Vassalli ligii*, & fidem atque *subjectionem* promittunt, atque in hoc statu non sunt sui juris, vel quasi, noruntq; & profitentur obligationem suam. Illud tamen singulare est, quod Olsnæ principatus devolvitur ad foeminas, atque hoc obtinet ex permutatione Bodebratii in Bohemia siti, & foemineo jure præditi (unde appellati sunt *Domini de Bodebrat*) quod Henricus Dux Munsterbergensium Vladislao Bohemiæ Regi tradidit, atque ejus nomine Olsnam recepit. *Schickfusius Chron. lib. II. cap. 34.* Qui ducatus

us connubio Elisabethæ Mariæ, Caroli Friderici Ducis Munsterb. filia, delatus est ad Sylvium Nimrodum, Ducem Wirtenbergicum, quod recens manifestumq; est juris uxorii argumentum. Sed id non habet locum in ceteris Silesiæ ducatibus qui tamen in plerisque aliis à communi *feudorum* ratione & regula recedunt. *Henelius Silesiograph. cap. VI.* Duces Munsterbergenses Schickfusius nominat Imperii Principes, & præter institutum concedentis, exponit ac extendit diploma Cæsareum, statutumq; quæstionis invertit, nec servat modum generi pragmatico congruentem. Ad eos ceteroqui duces pertinet *Glacii Comitatus*, cuius mentio fit in tabulis beneficiariis anno *MCCCCLXII*, ab Imp. Friderico III. datis. Venit hic castigandus scriptor proletarius *Georgius Ælurius* qui initia & originem Glacii adscribit Henrico Aucupi, & diploma Germanicum contra usum curiæ Germanicæ veteris eidem tribuit, ac revera ineptit, *Glaciographia lib. I. cap. 1. p. 32.* Magis eruditè ac prudenter de hoc Comitatu tradit Goldastus *lib. I. cap. 15. de regno Boh.* Qui comitatus nunc non possidetur à Silesiæ ducibus, sed regno Bohemiæ, est conjunctus.

XVII. Liegnicii & Briegæ ducatus superstitem

stitem Piaftidarum sobolem retinuit usque ad
annum M DCLXXV. quo Georgius Gvilelmus
Christiani filius, ex connubio principali digni-
tate ultimus, in flore ætatis, & in expectatione
maximarum rerum, hanc antiquissimam & re-
giæ stirpis propaginem finivit. Proinde ab illi-
us obitu hi ducatus fisco regio attributi sunt, &
pristinos propriosq; duces amiserunt, quos
commonstrat §. *Silesia, art. V. Instr. pac. Osnabr.*
Etsi autem jam ad patrimonium regium perti-
nent illi ducatus, non tamen propterea cessat
ratio conservationis jurium & privilegiorum,
speciatim in parte Sacrorum, quæ antehac ibi
fuerunt & valuerunt, & deinceps pactione Vest-
phalicâ denuò robur acceperunt. Quorsum
dirigitur *interventio* Svedica, & intercessio Prin-
cipum Augustanæ confessionis, quarum neutra
est supervacua & inanis, quoniam partibus so-
lenniter paciscentibus placuit & probata est, at-
que eas mutuâ utrinque obligatione devinxit
ad inferendam clausulam, quæ in modum for-
mamq; *contractus* libertati religionis caveret.
Instr. pac. vers. Et cum. Non quidem nescio,
hos duces superiori seculo consilium cepisse de
faciendo successionis pacto cum Joachimo
Brandenburgico *Electore*: sed Rex Bo-
hemix contradixit, & ratum habere noluit, &
quod

quod ea in re actum fuerat, rescidit, irritumque declaravit, *Henel. Siles. c. VI.* Nostrâ deinde memoriâ Ducis Johannis Christiani, principatum virib9 & potentiâ stabilire cupientis, voluntas & dispositio succedendi jus præripuit filiis ex altero, tanquam impari, matrimonio natis. Sed ignarus futuri erat laudatissimus Princeps, dum consultò a *divisione* abstinebat, nec faciliè orbitatem metuebat, cum alioquin ratio fuisset expedita connubii in dignitate principali collocandi, & *appennagia*, quæ nominant, constituendi.

XIX. Ducatus Crosnensis ex Silesiæ corpore veluti decerptus, & à reliquis ducatibus onerum munerumq; civilium ratione sejunctus, atque in dominium Brandenburgicum perpetuo jure redactus est, & ad familiæ ejus patrimonium attinet, hereditariusq; *feudalis* appellatur. Quòd omnino affirmant *Andreas Angelus in Chron. March. Brand. lib. III. p. 329. Schikfusius Chr. Siles. lib. I. cap. 15. & lib. II. cap. 33.* Titulus & insignia hujus ducatus, concessu Ferdinandi I. Bohemiæ Regis, sumta sunt anno MDXXXVIII. Error est in notis temporum *Hartknochii*, quippe annum 1528. numerantis. Superiores Crosnæ mutationes enarravit *Cureauus in annal. Siles. p. 263. 306. 323. 325. 335.*

Verum Ducatus Carnovius desit esse ditionis Brandenburgicæ, postquam non habitâ agnatorum ratione ademptus abjudicatusq; est, cujusmodi exemplum antea editum fuit in Oppelensi & Ratiboriensi ducatus, dum agnati nullo modo impetrare poterant, ut ad successionem ex transverso admitterentur. Quibus rebus isti ducatus ad fiscum regiû devoluti, & pignoris titulo postea traditi ad tempus sunt Sigismundo III. Poloniæ Regi. Sed nihilominus ratione ducatus Carnovii titulus ducis *Jegerndorffensis* à Marchionibus adhibetur & retinetur. Tantum igitur cum accessionibus suis Crosna dignitate principali superest, quam Marchiones & Electores Brandenburgici à Rege Bohemiæ jure beneficiario capiunt & agnoscunt. Neq; tamen non dubitat Henelius, an ducatus Carnoviensis hereditarius dici possit, *Silesiogr. c. VI.* Quod Reges Bohemiæ negarunt & præjudicio testatum fecerunt, cujus rei altior causa subest, & facile perquiri potest ex superiorum temporum actis, quæ exequi propositum vetat.

XX. Unus autem restat ducatus, qui veteres suas rationes servat, quiq; ad fiscum regium proximè non spectat, cujusmodi est ducatus Oliviensis, cujus nota fecunditas est, quæ facit, ut tribus *lineis* contineatur. Etenim ab
Sylvio

Sylvio Nimrodo, Duce Wirtembergico, primo
hujus ducatus acqvirente, tres ortæ sunt propa-
gines, Osnensis sigillatim, Bernstaterensis, & Ju-
lichstaterensis, quarum initia ducenda sunt à tri-
bus Sylvii Nimrodi filiis, inter quos Sylvius Fri-
dericus, Christianus Ulricus & Julius Sigismun-
dus patri superstites, suam quisque *lineam* con-
diderunt.

XXI. Vratislaviensis ducatus jamdu-
dum sublatus extinctusq; est, neqve id tamen
fraudi est Vratislaviæ, parenti cultus & elegan-
tiæ Silesiarum urbium, propterea quod in pa-
tione pragmatica seorsim exprimitur, & juxta
cum aliis ducatus *mediate* subjectis, necdum
ad fiscum regium devolutis in libertate, sacra
& civilia negotia complectente, prorsus confir-
matur. *Inst. pac. Osnabr. art. V. §. 13.* Quare jus
religionis liberè illuc exercendæ firmum & sta-
bile est, neqve potest convelli, neqve continetur
capite gratiæ, nec pendet à conditione & clausu-
la *interventionis*, sed innititur pacto publico &
pragmatico, à sociis pacifcentibus & sponsori-
bus simul comprobato.

XXII. Cæterùm omnes Silesiæ Duces re-
gno Bohemiæ se conjunxerunt, & jura privile-
giaq; salva sibi pacti, tanquam foederati Proce-
res accesserunt, nec Regi suo, nisi præsentì, ju-
raxe

raxe

rare quondam consueverunt, atque ante con-
versum Bohemiam statum, in Regis *electione* suf-
fragium habuerunt, & eo numero locoq; habiti
sunt, quo illi, qui intra regnum, & nativa ejus
membra fuerunt. Quocirca rectè existimat *He-
nelius, Regnicolas* in sanctione Carolina memo-
ratos, intelligi simul Silesiam Principes, *A. B. tit.
VII. & VIII. Silesiograph. cap. VII.*

XXIII. Primum Silesiam cum Bohemia co-
pulanda auspiciis datum est ab Henrico Vra-
tislaviensi duce, qui cum Venceslao Bohemiam
Rege pactationem fecit, quam A. MCCXC. sua
& Imperii auctoritate communivit Rudolphus
Cæsar. Inde paulatim alii post alios ad *pactitiam*
illius regni societatem accesserunt, donec o-
mnes simul in verba Johannis Lutzburgici Re-
gis jurarent. Id quod evenit, rituq; solenni V-
ratislaviae peractum est anno MCCCXXXVII.
die festo Palmarum. *Jo. Dubravius hist. Bojem.
lib. XXI. Nic. Henelius Siles. cap. VII. Schickfusius
Chron. lib. IV. cap. 28. Balbinus ep. lib. III. cap. 18.*
Postea Casimirus Poloniae Rex assensu regni
procerum juri suo in Silesiam renunciavit, & su-
periores lites sustulit atque extinxit. Diploma
cessionis anno MCCCXXXIX. factum, & à
Goldasto editum est, in *Appendice documento-
rum p. 40.* Facile Casimirum in hanc sententi-
am

am induxit & traxit memoria belli Prusfici, quod magnis viribus diu gestum est, ac sine dubio à cogitatione novæ & difficilis expeditionis eum deterruit atque avertit, Itaque pacto remisit jus, & callidum animosumq; Regem Johannem ad accipiendam approbandamque conditionem Poloniæ utilem persuasit & inflexit, ut vicissim omni jure cederet, quod in quantum Bohemiæ Rex in Poloniam habebat, propter connubium Richsæ Venceslao Bohemorum Regi nuptæ, quæ insignem Poloniæ partem ipsi in dotem attulit, quam in itâ hac pactione pro Silesia libenter & consultò dimisit. Quod dissimulant scriptores Polonici, & hujus rei causa arguuntur meritò, & tacentes urgeri, negantes refelli convinciq; possunt, quia non libri solum, sed publica quoque actorum documenta superant, quæ dictis fidem afferant, cessionemq; confirmant. *V. Carolus IV. in vita sua, quam Rein. Reineccius, & Marq. Freherus ediderunt. Jo. Dubravius, & Vencesl. Hagecius, ex usq; Mart. Boregk Chron. Boh. in Johanne Lutzemb. Pessina in Mart. Morav. lib. IV. cap. 2.*

XXIV. Duabus autem in rebus cognitum est, non bene Polonis evenisse consilia, quæ cum *divisione principatum, & electione Vladislai Loetici* conjuncta erant. Utroque enim modo

¶

vires

vires, animosq; distraxerunt, commotis repulsâ
Piaſteis Ducibus, quorum amicitiam diligen-
ter captabat Johannes Rex, & eorum in Polo-
nos odia fovebat ac ſtimulabat, & occasione
belli inter Polonos Pruffosq; geſti utebatur,
pacemq; ſuo & Caroli arbitrio procurabat, ſi-
bi utilem, & Caſimiro Poloniae Regi iniquio-
rem. Quod non diffitentur Polonorum hi-
ſtorici, & Regem Caſimirum, plus quàm par
eſſet, quietis & otii cupidum fuiſſe qveruntur.
Nec inficiari poſſum, Poloniam tunc non po-
tuiſſe reſiſtere ſuis fatiſ, poſtea autem agnoviſ-
ſe errorem, meliusq; ſibi conſuluiſſe, cum Sile-
ſiæ jacturam prudenter ſarciret, & Jagelloni
Regis dignitatem preſanti conditionem de
Lithuania cum Polonorum regno conjungen-
da ferret, quam is libens accepit, & rempu-
blicam unâ & auſpicata magni ducatus accel-
ſione auxit & corroboravit. *Cromerus de reb.
geſt. Pol. lib. XIV. & XV. atq; ex eo Salomon Neu-
gebauerus hiſt. Pol. lib. V. Albertus VVijuk Ko-
jalouvicz, qui Mattbia Strykovſki Oſſoſtevitii
hiſtoriam Lithuanicam in epitomen redegit, hiſt.
part. I. lib. 9.*

XXV. Fuit autem Sileſia plus trecentis
& quadraginta annis conjuncta Bohemiae, nec
ſubjugata Bohemorum armis, ſed pacto Sileſio-
rum

rum Principum, & cessione Regis Procerumq;
Polonorum, venit in ditionem Regni Bohemi-
ci, mansitq; eo in statu, & Regum suorum ma-
jestatem coluit, & obsequium fidemq; ser-
vavit.

XXVI. Hostes, qui vastarunt Silesiam, duo
præcipuè animo occurrunt, Scythæ, & Husitæ,
quorum infesti exercitus nullum prope crudeli-
tatis genus omiserunt. Scythæ, sive Tartari, an-
no MCCXXIX. ab ultimis sedibus in Europam
egressi sunt, & magnum deinde repentinumq;
impetum in Poloniam & Silesiam fecerunt, tra-
jectoq; Viadro, versus Vratislaviam castra moverunt, &
depulsi ab oppugnatione arcis, in quam cives, urbe con-
sulto incensa, profugerant, Liegniciũ usque pervenerunt,
ac V. Id. April. A. MCCXLI. ingentem Silesiorum stra-
gum ediderunt. In quo prælio desiderati sunt Henricus
Dux Liegnicensis, Boleslaus Marchio, & per plures ex flo-
re Nobilitatis. Barbari cæsum numerum, resectis auri-
bus, inierunt, iisque novem capaces saccos repleverunt, nec
aliter, quam victoriæ signa ostentârunt. Loco pugnæ ad
hunc diẽ nomen est Valstadio, quod uno lapide distat Lie-
gnicio, & memoriam funestæ cladis etiamnum servat. *He-
nelius Breslograph. cap. IV.* Quo tempore imperabat Fride-
ricus II. cuius epistola ad Regem Hungariæ de adventu
Tartarorum perscripta superest apud *Petrum de Vineis,*
scribis Cesareis præfectum. lib. I. ep. 29. Contra quos desti-
navit Conradum filium, cum ipse rebus Italicis impeditus,
in dura imperii tempora incideret, & procul esset finibus
patriæ, & difficultatibus pecuniæ urgeretur. Proinde i-
niqvissimis reipublicæ temporibus numos ex corio faci-
endos

AK
3547

endos curavit, quibus signum Cæsaris impressit, valorem-
que necessitate publicâ sanxit. *Carolus Sigonius de regno
Italia lib. XVIII.* Hussitæ demùm crudeliter affligerunt Si-
lesiam, magnamq; ejus vastitatem fecerunt, *Cureus annal.
Siles. p. 125. & belli Hussitici per Lusatiam Silesiamq; MSP.*
Quæ irruptiones permultū attulerunt ad utrasq; regio-
nes magis deinceps communiendas, & ad custodiendos fir-
mandosq; aditus, & imprimis ad urbes earum-
que moles & ædes ex lapidum materiâ
construendas.

POLITISSIMO JUVENI,
AUGUSTINO PESCHINO,

S. S. Theol. Studioſo,

Amico meo.

V Alde, & pro eo, ac par est, tibi gratulor conatum speci-
menq; doctrinæ perpulchrum, quod in perquirendis patriæ
rebus non mihi solum, sed doctis omnibus in frequentis-
sima commilitonum concione magnâ cum ingenii laude,
nec minori elegantia publicè ac feliciter demonstras. Multi
quidem spe quæstus, & turpis compendii causa non putant esse, cur
de talibus studiis laboremus & mereamur: sed ab iis te sejungis,
nec vanè existimas, fieri hoc invito & repugnante eruditissimo-
rum hominum coetu, ac tibi adeò rationem esse inoundam, quâ
scias & intelligas Majorum res gestas, præsertim eas, quæ ad Pa-
triam spectant. Quod institutum magnopere expedit, laudisq;ve
plenum est, & origines natalesq; urbium & imperiorum aperit ac
illustrat, nec modò jucundum, sed etiam fructuosum est, & æquè
tibi commoda, ac non mediocria ornamenta affert. Itaque jam
nullo dubito, quin id, me non monente, lætus libensq; perspicias,
atque usu tuo, & contentione industriæ, & crebris egregiisq; exem-
plis aptè confirmes, & plenè feliciterq; hoc omne, quod exi-
guum & vulgare non est, adeptus, etiam ultrò fatearis.

PRÆSES.



1077

Q.K.
397.
5.

X 110033

LEN
HIS
ad Si

REC
ACADEM
CONR
SCH
Historia

AUGUS

Die XI



Typis CHR

A

NSIS
ELE

lico,

NO,

ad, Typ.

